10 Augusti A.o 1622.



117

Jacobus de La Gardie Comes de Leckö Baro de Ekholm dominus in Kolka Hyeta et Runsa Eques Auratus Regni Sveciæ Senator et Mareschalcus Exercituumque Dux Generalis, Literis Nostris hisce Notum testatumque facimus, Omnibus et Singulis quorum interest, Quod cum multarum rerum Judicio animadverterimus, Spem subesse non exiguam quatenus præsens bellum Livonicum extingvi et fida et honesta Pax et tranquillitas, dictis Provincijs iterum restitui possit, ideo ne dirimendæ tam præclaræ Causæ occasionem præbuisse videremur et Nostratium pro avertenda Christiani Sangvinis effusione solicitudinem DEO Orbique testaremur universo per necessariam Nobis visum fuisse ut armorum prorogatio in Livoniam ad diem ultimam Mensis Maij Anni Sequentis Millesimi Sexcentesimi Vigesimi tertij fieret, de quo inter Nos ab una, et Illustrissimum Principem ac Dominum Dominum Christophorum Radziwilium Ducem Birzarum et Dubinkorum Sacri Romani Imperij Principem Exercituumque Magni Ducatus Litvaniæ Ducem Campestrem ab altera partibus ita convenit, Primo Commissarij ab utraque Parte deputabuntur sufficienti et omnimoda facultate ad tractationem de Pace vel Inducijs stabilibus inter hæc duo Regna Provinciasque adiacentes sanciendis instructi. Secundo Præsto erunt Commissarij Regni Sveciæ ut quamprimum Commissarij ab Ordinibus Regni Poloniæ Magnique Ducatus Litvaniæ supervenerint cum eis (præmissa concordi et unanimi loci et temporis inter ipsos assignatione) statim et absque mora prænominata tractatio instituentur et omnes sufforandi bellici Incendij rationes promoveantur. Tertio si inter utriusque Regni Commissarios ante Primam Maij remotis, quibuscunque præiudicijs et obstaculis, vel de stabilioribus Inducijs, vel de firma pace conventum fuerit, extunc non expectato Maij termino continuo sequetur et executioni tradatur id quod constitutum fuerit, Quarto si Commissarij (quod DEUS avertat) rebus infectis discesserint, tamen præsenti suspensioni armorum nihil id derogabit, manebitque ea in suo robore donec terminus reassumendis armis præfixus advenerit. Quinto

in ista

Scrips. Ivan Mordinski

in ista cessatione uni parti altera nequicquam nec accedere vel decedere debet, sed in eo quo nunc sunt Statu res utriusque permanebunt, et quod alterutra pars nunc possidet, ea absque alterius impedimento Iniurijs, incursionibus, pacifice et quiete tenebit, ac ab omni bellica hostilique impressione vel aperta vel clandestina contra Regnum Poloniae Magnumque Ducatum Litvaniae Provinciasque Civitates, Arces, Portus, Subditos, in Possessione ipsorum existentes à Nostra Parte cessabitur. Sexto Omnibus Regni Poloniae Magnique Ducatus Litvaniae Subditis cujuscunque nationis et conditionis Libera cum Nostratibus conversatio et negotiatio per Livoniam Esthoniam ipsisque adiacentes Provincias Terra Marique Libera itinerique erunt, nullaque vis et iniuria aut praeiudicium quantum in Nostra potestate situm est in ipsos committetur. Septimo super Iniurijs tam personalibus quam realibus sub istam cessationem incidentibus Iustitia indilata ab utrinque administrabitur severeque poenae in violatores Pacis fide publica roboratae exercebuntur. Octavo Captivi ab utrinque alij permutatione, alij menstruo solario redimentur ac libertati restituentur. Imitam ergo talibus rationibus et medijs armorum cessationum potestate, qua in praesenti fruimur, quo addurave(r)int praenominatae Induciae absque ulla fraude dolove malo à Nobis Nostratibusque servatum in bona fide promittimus. In cujus rei fidem praesentes Manus Nostrae Subscriptione Sigillique impressione munivimus. Datum in Castris ad Svetam decima Augusti Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Secundo Anno.